...ertus
...mes.

Birzanowski Stanislai Jos: Insignia theologicum Adm. Rev. PP. Ord. S. Spiritus de Saxia Lamberto Steszczyński et Mart. Hanuszewicz — celebratum.

INSIGNE THEOLOGICVM,

ADMODVM REVERENDIS PATRIBVS,
Ordinis Sancti Spiritûs de Saxia,

P. LAMBERTO PLESCZYNSKI,
Prouinciæ Polonæ Definitori, & Secretario,

P. MARTINO HANVSZEWIC,
Prouinciæ Polonæ Definitori, & Conu: Crac: Cõcion: Ord:

DVM AB
Illustri, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. NICOLAO SVLIKOWSKI,
Sac: Th: Doct: & Profess: Collegâ Maiore, Eccl: Collegiatæ S. Floriani Canonico, Contubernij Ziziniani Prouisore.

Sacrâ Theologici Doctoratus Laureâ,

In Peraugusto D. D. Theologorum Lectorio,
In frequentissimâ Nobilissimorum Hospitum coronâ
honorificè collatâ, insignirentur,

PER

M. STANISLAVM IOSEPHVM BIEZANOWSKI, *Leopolien: Philosophiæ Doctorem, Collegam Minorem, Ordinarium Poëseos Professorem*

Publico Solenniq; applausu

CELEBRATVM.

Anno Verbi Incarnati 1668. *Die* 18. *Mensis Octobris*

CRACOVIÆ,
Apud Heredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M. Typogr.*

IN STEMMA
Illustrissimi, & Reuerendissimi
ARCHIPRÆSVLIS.



Ordinis est Sacri decus, illibata Columba,
Custodit niueam, quæ sine labe Crucem;
Sol quoq; Præsulei radians in Stemmatis auge;
Auroræ, roseo lumine, dicit Aue.
Omnia PHOEBEO niueæ sunt lumina pacis,
Omnia cælorum candor, amorq; trahit,
Scilicet ipse sui sol ordinis, ipse Corona;
Omnia PHOEBEVS, lumina solus habet.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. FRANCISCO MARIA
PHOEBEO

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
ARCHIEPISCOPO
TARSENSI,
SSmi, Dñi, Nri. PAPÆ.

Asistenti, & Prælato Domestico, Vtriusq; Signaturæ
REFERENDARIO,
Basilicæ Vaticanæ Canonico, Apostolicarum Ceremoniarum
Præfecto, Sacræ Congregationis Ceremonialis à Secretis,
Protonotario, & Secretario Apostolico,
Ac Sacri, & Apostolici Archihospitalis S. Spiritûs de Saxia,
De Vrbe Præceptori, & totius Ordinis eiusdem S. Spiritûs

GENERALI MAGISTRO.

D. D. & Patrono Amplissimo.

VEnit ab orbe Hyperboreo, ad cultissimam terrarum orbis partem, Europæq; delicium; Insigni Theologico præfulgens, virtutis & sapientiæ decus, Celsissimo Nomini Tuo à me dedicatum, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. *Non poterat illud in orbe nostro, absq; applausu cultuq; suo comparere. Non poterat in solem iuris publici, atq; adeo in ipsam lucis eruditæ amussim, augustumq; orbis Dominæ conspectum, absq; Phœbo suo prodire; cui magna quidem, ex merito suo Dignitas, & Præstantia, umbram nihilominùs suam non egressa; nisi in Phœbei fontem luminis incidisset. Hæc illi portio felicitatis omnium maxima; quòd eò potissimum tempore insignibus Theologicis inclarescat; quo sub auspicijs,* ILLVSTRISSIMI PHOEBEI *Nominis, eruditis non clarere splendoribus, propè piaculum est: magnum ad summa omnia addente stimulum vel ipsâ quæ sub arcano tanti Nominis, Vniuersam literatæ gloriæ conclusit*

epitomen, Phœbeæ Claritudinis Maiestate. Quòd si decorum semper, bonis mentibus habitum est; Principum suorum, quoties ex aurea mortalium portione selecti, felices imperijs obtigissent, ætatem & indolem sapere: quidni ad insignia vsq; Theologica saperent ij, quorum sacra pietatis & eruditionis Religiosæ, studia, in auream Phœbei Principis ætatem, indolemq; eruditissimam incidere. Diem profectò suum, excellentibus in hoc sacro Ordine ingenijs dixisse videtur, admirandus ille virtutum & meritorum fulgor; quo in Ecclesia Dei Illustrissima & Reuerendissima Celsitudo Tua præfulget; vt si vnquam aliàs, nunc certè, tantò illustriùs emineant; vt in publico sapientiæ theatro, nunquam absq; sole suo, nunquam absq; lucis honoratæ coronâ spectentur: eò potissimum Ordinis sui GENERALI MAGISTRO; *inquo tot summa officia, tot sacri simul splendores, tot eminentium prærogatiuorum insignia conuenêre; quibus propè singulis eà Maiestas, & amplitudo est; vt ad parem sui administrationem, ingentia nonnisi nomina, & in orbis exemplum itura admittant. At enimuerò hæc, ita sunt in Te collecta omnia; ceu natiui in Phœbo suo radij, ad quantamcunq; serenitatem parati: quibus non suffecerat, amplissimis in Orbe Christiano effulsisse honoribus; nisi ordinem quoq; sibi commissum, ad nouæ lucis insignia vocassent: impetrato eidem nuper à SSmo Dño Dño Nostro, qui & olim in hoc Sacro Ordine floruit, Canonicalis Almutij vsu. Quod insigne decus, Sacer hic ordo, Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudini Tuæ, cùm se debere profitetur; agnoscit profectò, à tantò Præsule non irradiari propè impossibile; in cuius gentilitio stemmate, ipsa etiam præcipua cælorum lumina spectari ambiuerunt. Aduertit hùc prudentissimum animum Perillustris & Admodum Reuerendus Dominus,* CASIMIRVS SZVLC, *Præpositus Conuentus Cracouiensis, & Prouincialis Poloniæ, Vir summâ virtute, pietate, authoritate, paterni regiminis moderatione, cultùs Diuini, Religionisq; zelo ornatissimus; qui vt sub tanto nomine, in Sarmatiâ quoq; nostrâ, deducta ex virtutis & sapientiæ cultu, sua ordini huic, constaret claritudo; authoramento hoc Theologici honoris, NeoDoctores dignissimos, insigniri voluit; honorificentissimum id ratus, quidquid in* ILLVSTRISSIMI PHOEBEI *Nominis, felicia ordini huic auspicia redundaret. Ad sacras proinde, & Archipræsuleas manus Tuas, Sacrum hoc Theologici honoris depositum, iure suo pertinet; in quo cùm multa sibi Septemtrio noster gratulatur; tum illud præcipuè; quòd delicium illud* ILLVSTRISSIMI PHOEBEI *Nominis, Phœbo quoq; suo in delicias venerit; de quo summa & amplissima omnia polliceri sibi posse, præcipua eruditorum felicitas est; quæ mihi quoq; tum erit maxima, si opella hæc ex conscientia velati luminis, vmbram suam arguens, in eiusdem Illustrissimi Nominis gratiâ inclarescet.*

INSIGNE THEOLOGICVM.

Ad apparatum Virtutis, ex improuiso venire,
quanquam nemini licitum;
passim tamen, festinantium in arduo, vana contentio est.
Diuinum hoc, operosissimæ artis peculium,
nemo vnâ, ceu Phrygium vellus, sarcinâ collegit.
diu lucta hæc, sub discrimine, sudoreq;, donec ad lucra veniat;
nec tam in expedito,
rosas & myricas; spongias & gemmas legere.
Adhuc tamen, opinione sua, felices sunt;
quibus aureum semper, vna piscatio tripodem; Aurifodinam,
vna Venæ fimbria spondet.
Felicissimi omnium, si vt aureus ijs Mydæ semper ad manum tactus;
ita duram inter crudeles diuitias, non tangere famem,
æquè ad manum esset.

Sed

magna pars insaniæ, in Virtute quoq;, repentina cõpendia quærere;
ceu Heroes suos, vnius pluuiæ fungos habeat;
tamq; veniat facilis, quam ligustra facilè cadunt.
Quis illud virilis animi votum censeat?
ad quod fatuæ aures non tinniunt; cum cymbalum adulatio suum pulsat, vouetq;;
quicquid calcaueris, rosa fiat.
Hoc certé, in Palæstra virtutis, stylo ferreo dignum;
in qua masculum nemo incessum suspendit, etiamsi quicquid calcauerit, spina sit.
Cauta quidem sic incedentibus vestigia, lentaq;;

ſed his deinceps, rhedæ argentatæ, carucæq;
qua Seuerus auctoritati ſenatûs conceſsit, ex inſignibus honorum decernuntur.
Seria nimirum virtutem cura,
ſeraq; ex apparatu copia decet.
Inſignia ei decoraq;, antequam puluerulenta ſit,
notæ pluſquam Cenſoriæ; laudes, contumeliæ ſunt.
Poſt Heroicos actus ſecura,
confidentiùs ſellam curulem, laticlauumq; capit;
inclinare caput ad laureas, pectus ad inſignia ferre, tum demùm cogitans;
cùm vtrumq; ſudauit maximè.
Fiducia hæc, ſecuritasq; Veſtra,
Adm: Rdi: PATRES NEO DOCTORES dignißimi,
iuris iam publici facta;
ad inſigne Theologicum, non tam ex voto, quàm ex merito venit.
Verecundus illi quidem aſpectus,
& qualis honoratæ luci obluctantium eſſe ſolet;
vel ex hoc ipſo tamen, ſpectari celſiùs, clarereq; dignior,
quantò ſeueriùs in ſe refugit, deſcenditq; profundiùs.
Quanquam & hîc
modeſtißimo ſenſu, dum nihil in ſe æſtimat;
pulcherrimum illud, nihil in ſe æſtimantium, meruit æſtimari.
Quidni verò id vobis ſeriò contingeret?
quibus ad apparatum virtutis, conatus luctæq; perpetuæ;
nunquam ſine cæſtu, nunquam ſine agoniâ tranſiêre.
Inſignes, ante inſignia honorum, vt prodiretis;
Crucis primùm niueæ, inſigne placuit;
conſtititq; in Vobis;
integerrimo cuiq; pectori, maximum ad altiora ſuffragium,
candidâ mente pati.
Sub hoc vexillo, magni patientiæ Heroes,
à charitatis diſciplinâ, ſapientiæ doctoratum exorſi;
dignas annulo Doctorali manus,
ad ſeruitia pauperum Chriſti, primò demiſiſtis.

nulla

Nulla quippe manus, annulari gemmâ dignior;
quàm quæ, in obſequio charitatis, ſponſalia Chriſti meruit.
Initium hoc ſapientiæ,
ab inunctis Chriſti pedibus, qui pauperes ſunt, cæptum;
ad Cathedram Theologicam ſublimari debuit.
Grandis quippè eruditis charitas, liberq; ſeptẽ ſignaculis clauſus eſt;
quem aperire, Agnus non niſi occiſus docuit;
maxima ipſe victima charitatis.
Ex hoc arcano profundiùs vt ſaperes,
Academica ſtudia tua, quibus ſub Iagellonica ſceptrorum cruce incubueras;
ad Crucem charitatis niueam tranſtuliſti,
Adm: Rde: Pater LAMBERTE PŁESCZYNSKI.
animo ſanè totus candidus, niueusq;;
& cui nihil difficilius vnquam, quàm latere.
Nec diu latuit,
qualem te ſacra niueæ Crucis militia acceperit, feceritq;
cùm ad inſigne tuũ reſpiciens, ſinceriſſimo cordi identidẽ inculcares;
qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.
Laborem ergo, ex amore Chriſti complexus;
fatigari in eo cùm non poſſes;
Viſus es, aut totus in ſpiritu, aut totus ſpiritus viuere:
cùm in ordine S. SPIRITVS, *omnia ſinceriſſimè elaborata ſuſtineres.*
In Præpoſitura Sandomirienſi,
omnia omnibus factus, verum Te charitatis Præſidem probaſti:
adeò quidem, vt quò plures, in viſcera charitatis admitteres;
ipſa etiam, ſi liceret, viſcera profudiſſes.
Charitas profectò vberum plena; in Te tota planè vber fuit;
refecitq; ſæpiùs & nutriuit, non ſugentes tantùm, ſed etiam ſugillantes.
Ex hac Tibi, ſacræ quoq; vis eloquentiæ,
quæ Te, Concionatoris munere fungi, vel ideò diutiùs voluit;
vt per oracula ſimul & exempla Tua, tantò feliciùs peroraret.
Optimum id omnium,

 cum

cùm vita loquitur, quod in ſuggeſtu triumphat;
tam amico in Te conſenſu; quàm definiendi, quæ recta ſunt, ſalubri iudicio;
Cùm Prouinciæ Poloniæ Definitor,
illud primùm agas, adimpleaſq́; quod in alijs ad amuſsim perfectionis definias.
Hoc ſummâ cum laude agentem,
pulcherrimâ imitatione ſecutus ſemper, ad inſigne Theologicum aſsecutus es,
Adm: Rnde: Pater MARTINE HANVSZEWIC,
Magnanimam indolem tuam, Crux quoq; niuea decuit;
vt in hoc ſigno, Stygiam tenebrarum indolem, apertè vinceres.
Cultiſsimum illum, quem circumfers animum;
literarum in Te elegantia fecit;
quæ cùm pectus aureum inſediſset; os quoq́; nectareum eloquentiæ dedit.
Solida hæc in Te, nec tam in flores prodiga, quàm fructus:
In ſole nimirum Theologici ſtudij maturuit;
Cuius Tu curriculum magnâ virtute, & conſtantiâ emenſus;
etiam conflictari inter reciprocos æſtus; quàm non matureſcere maluiſti.
Sed reſpondit quoq; pertinaci labori, naturæ bonitas;
quæ ingenio quantùmuis felix, tetricas tamen noctium curas non omiſit;
vt fieret potius bona, quàm naſceretur.
Talem oportuit,
ad Ordinariam Concionatoris Cathedram, animum in Te fieri;
qui erudito Cornucopiæ plenus;
plura ſemper polliceretur, quàmuis iam ſelectiſſima protuliſſet.
Non exhaurit eum, interualla licet non ſentiat,
quæ perenni latice, illimis fertur, dicendi copia.
Sapiens quippe animus,
indeficiens illis rectè ſentiendi dicendiq; vena eſt;
qui eum, ad vſq́; Viuam intelligentiæ ſcaturiginem, excoluêre.
Inexhauſtus hic Tibi & vbiq; promptus,
inter oracula Suadæ, vt prudentiæ quoq́; oracula pangeret;
ad arcanum Conſilij, Prouinciæ Poloniæ Definitor acceſsiſti.
Ita decoris vtrumq́; nominibus virtus,
ad inſigne Theologicum præparauit.
Doctorale id, & in Regno ſapientiæ primum;
vt in-

vt intelligatis.

ſub Illuſtriſsimo FRANCISCO MARIA PHOEBEO,
doctarum apud Vos ſæcula florere coronarum;
quæ cùm in Vos, ab auguſta Phœbi Sarmatici manu deſcendunt;
Scitote eas, non aliàs magis;
quàm ſub tanto nomine, efflorescere debuiſſe.
delecta ad id capita Veſtra, inſigni ad alios exemplo;
vt inter opera charitatis, ſapientiæ quoq́; decora cogitent.
Charitatis quippe caput aurum optimum;
manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis;
nonne vt coronent, ſuper egenum & pauperem intelligentes.
Intelligentia hæc ſapientis gloriæ motrix,
faxit Deus!
perpetua ſit, gratæ memoriæ teſſera;
vt par iſtud Veſtrum;
inter pulcherrima inſignium virorum, nomina veniat,
quod pariter meruit,
Inſigniri.

VOTIVVM
AMICI PECTORIS
INSIGNE.

HVc innocentis Lilia ſæculi,
Nubesq́; gemmis fæta liquentibus.
Niuisq́; candentes procellæ,
Deciduos properate nimbos;

Quà ſub Columbæ, Crux niueis micat
Eburna pennis; quà capiti Sacro
Honos paratus, candidato
Par niueum, iubet ire paſſu,
Ad eminentis roſtra ſcientiæ,
Laurumq; ſummam. quid meritos gradus
Suſpendis? ô inſigne docti
Par animi, geminumq; Stoæ
Decus Polonæ! candor eburneis
Latè corymbis, ſub pedibus tibi
Iter triumphatum coronat;
Subq; Crucis niueæ Trophæo,
Heröa virtus iungit amabiles
Ducitq; dextras. Hùc tua candido
LAMBERTE, nix dilecta cordi,
Hùc animi pietas fideſq;
Intaminatis vecta curulibus
I o feratur! totaq; pectoris,
Virtus eburni; quæq; cingi
Theologis meruit corymbis,
Dos elegantis culta ſcientiæ,
Inſigne magnis nominibus caput,
Ad ſumma tollat; jamq; doctis,
Grande Viris decus æmuletur.
Tecum decoris paſsibus & Tua
Flos exedrarum, ſuada tonantium
Procedat; ignitiſq; feruens
Viſceribus, pia flamma ſacræ
Dilectionis. nec minor aurei
Oris venuſtas, venaq; muſtea
Sacris IANVSZEWIC fluentis
Te ſequitur, Cracijsq; latè
Roſtris triumphat: qualis in Atticis
Illime nectar fuderat alueis,
Qualis catenarumq; duxit,
Herculeos pretioſa torques.
Imus ſecundis non ſine plauſibus
Ab eloquentis flumine copiæ
Imus, nec eſt vinctas pudendum
Ferre manus, dare colla dulci
Iugo ſalutis: quando pius ſacrâ,
MARTINE Victor vincis in exedrâ,
Orbiq; rurſus fulminantes,
Flammigero geris ore Paulos.

Ardor ſalutis flammeus hos tibi
Accendit ignes, diaq; charitas.
Et quæ tot annis erudita,
Cor ſapiens dederat Palæſtra-
Sudatus in qua puluis Olympicus,
Ad vſq; doctas fecit adoreas,
Te grande conſummaſſe tandem
Theologi ſtudium laboris.
Hoc iam Togatis complet honoribus,
Inſigne Veſtrum; quo geminum caput,
Vnumq; cor, vnumq; pectus,
Docta manus SVLIKOVVIANA
Quando coronat; non humiles decet,
Aptare chordas pectinis aurei;
Carmenq; Doctorale fas eſt,
Threiciâ ceciniſſe buxo.
Amica doctis ſæcula mentibus,
O ergò quotquot mellifluos dies
Tulêre! iucundiq; quotquot,
Auricomo emicuêre vultu.
In Orbe ſoles, liligeris eant,
Vecti quadrigis, totaq; fauſtitas
Se tollat, in veſtros honores;
Vos niueis foueatq; pennis,
Columba veſtri Symbolon Ordinis;
Cuius ſub vmbrâ viuite, viuite,
Lætiq; DOCTORES, duæq;,
Pectoris innocui columbæ.